



PROOEMIUM

Quotidianam de Jure Connubiorum materiam in haccè disputatione inaugurali examinaturus eam in duas partes dispertio, quarum prior de Sponsalibus, eorumque constitutione & dissolutione, posterior de matrimonio, ejusque contrariis Synoptice procedit.

PARS PRIMA. DE SPONSALIBUS.

I.

Sponsalia à spondendo sic esse dicta habet ulpianus in L. 2. ff. b. tit. fuit enim, ut loquitur ibi Ictus moris veteribus stipulari, & spondere sibi uxores

A

uxores futuras, aut à sponte dando Vallens. *x. de spons. §. 1. n. 1.* ex quo facile deducitur duplex in jure non solum Canonico per cap. 13. de *præsumpt.* in fin. cap. 2. & ult. de *spons.* duor. sed etiam divino per text. in cap. *conjuges* 6. cap. 12. in pr. & 14. caus. 27. qu. 2. ut ex *civili arg.* L. *quidam*. 1. cod. si *nupt.* ex *rescript.* petantur fundata significatio, quā nimium sponsalia subinde demonstrant matrimonium de *præsen-*ti ratum, sed nondum consummatum, plerumque autem declarant matrimonium de futuro promissum, sed nondum contractum, quidquid priorem significationem cir-*cum*sponsalia de *præsenti* nonnulli studeant vel frustraneo conatu expungere cum giphanio *ad. lib. 1. inst. disp. 3. n. 7.* vel malo sensu pervertere cum Lauterbachio *ad tit. ff. de spons. §. 7. & seqq.*

II.

Illud circa sponsalia strictè accepta, seu de futuro, quæ & dicuntur fides pactionis *cap. 1. de spons. duor.* spes matrimoni & nuptiarum *L. 6. ff. b. tit. & sacramentalia matri-*monii. S. Thomas *in 4. dist. 27. qu. 2. art. 1. ad 6.* magis receptum est, quod ea sola comprehendantur sub regulari intellectu legum, statutorum, ac instrumentorum de sponsalibus aliquid præsertim odiosum ac pœnale dispo-nentium *arg. rubr. tit. de spons. & matr. x. & in 6to. Covaruv.* *in 4. decret. p. 1. cap. 1. n. 4. & 5.* Sic & constat, eadem solere nuptias antecedere hinc communiter distribuntur esse mutua, & reciproca promissio futuri matrimonii *L. 1. ff. b. tit.*

tit. can. 3. caus. 30. qu. 5. quod tamen sponsalia de necessitate non sint matrimonio præmittenda verius autumo contra Harprecht. inst. de nupt. n. 2. Sic enim habet manifesta utriusque juris decisio in L. 9. ff. b. tit. cap. 31. eod. & C. 3. de spons. duor.

CAPUT I. DE CONSTITUZIONE SPON- SALIUM.

§. 1.

Sponsalia, ut ritè constituantur præprimis adsint personæ habiles quæ velint, ac possint mutuam facere de futuro matrimonio promissionem, quales cum Sponsalia sibi sæpè proprio, sæpè alieno nomine constituant L. 18. ff. b. tit. cap. 1. de despens. impabl.

§. 2.

Hinc quoad personas nomine proprio constituentes sciendum est, quod primò requiratur de jure naturali usus rationis, & ea ætas, in quâ bonum à malo secernere, ac per deliberatam promissionem se obligare queant. cap. cum dilectus. 24. b. tit. L. 8. & 14. ff. eod. quare amentes furiosi, dormientes, ebrii perfectè tales sponsalia validè non contrahunt, deficit enim pro illo tempore usus rationis, & ex eo consequens deliberatio, quid quæsò ju-

dicabit Bicias, qui impiger hausit spumantes aliquot pateras, & pleno se proluit auro? ætas autem ad sponsalia requisita jure positivo Canonico ad septennium est determinata per cap. 4, 5. & 13. de despōs. impuber. ob præsumptionem generalem communis periculi, & carentiae sufficientis judicii in puerο nondum septenni.

§. 3.

Requiritur 2dò, libertas tam plena, & pura, ut consensus in sponsalia præstandus non alligetur imprimitis conditioni alicui impossibili affirmativè adjectæ sub hac, similivè verborum formulâ, si cœlum digito tetigeris, si mare ebiberis, deinde per metum gravem, & injustè incussum non extorqueatur consensus cap. 11. de despōs. im-pub. & arg. cap. 14, 15, 21. & 28. h. tit. & quoad prius in genere ex L 31. ff. de obl. & aet. constat contractus tam bona fidei quam stricti juris impossibili tali conditione interpositâ nullius momenti esse, ergo & in specie de contractu sponsalitio id intelligendum, & alias sponsalia fore ipso jure nulla, si in ordine ad eadem celebranda sit metus gravis injustè incussum à causâ extrinsecâ verius est, quia, licet sponsalia ex naturâ suâ sint rescindibilia, hoc ipso tamen, quod pro objecto habeant actum irrevocabilem matrimonium scilicet vi & virtute contractus sponsalitii ponendum valere non possunt, si matrimonium valere nequeat.

§. 4.

§. 4.

Tertiò requiritur Carentia impedimenti perpetui seu dirimentis, seu impudentis matrimonium, dirimentis, quia cum hoc nequit stare matrimonium, impudentis, quia sic contracta sponsalia habent promissionem rei illicitæ, quæ sinè peccato mortali servari nequit, & hinc etiam invalidam arg. cap. ult. de pæt. in 6. cap. 6. de reg. jur. in 6. L. 15. ff. de condit. instit. ubi facta, quæ lœdunt pietatem, existimationem verecundiam nostram, ac contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, hinc spontaneâ fluit sequelâ cum, qui voto servandæ in sœculo castitatis, aut emitendæ in approbatâ religione professionis se deo obstrinxisset, cum homine sponsalia contrahendo nihil agere, an autem si contractis sic sponsalibus prætensæ sponsæ accesserit defloratio, illa sint adimplenda & antecedentis voti executio differenda problema sit.

§. 5.

Ex personis alieno nomine sponsalia contrahere voluntibus sunt aliquæ, quibus nullo ad hoc negotium est opus mandato, sic parentes utriusque sexûs nomine liberorum etiam absentium, emancipatorum, aut illegitimorum possunt contrahere sponsalia absquè horum mandato, cùm optimum pro liberis consilium capere præsumantur cap. tua nos 1. de despens. impub. cap. un. §. porrò eod. in 6. ità ut liberi, si præsentes sint, contractumque sponsalium constitui intelligant, non tamen contradictant,

tali suo silentio consentire præsumantur, si absentes sint,
 & contractum ignorent, nequidem consentire præsumantur,
 sive autem scientes sive nescientes sint, non ante
 ullam subeant ex similibus sponsalibus obligationem,
 quam ipsimet verò proprio, ac naturali consensu factum
 parentum tacite vel expressè ratifcent d. cap. un. in 6. L. 5.
ff. b. tit. & ratio est. in *Can. 2. caus. 27. q. 2.* & *Can. un. caus. 30. qu. 2.*

§. 6.

EX dictis tamen facile patet, ea sponsalia, quæ propinquus alias pro propinquuo, aut tutor pro pupillo sciente & tacente contrahit, nec verè nec præsumptivè obligare Engel. ad. tit. de despons. impub. ff. 2. n. 5. ut his mandato opus sit non generali, sed speciali contrahendi cum certâ, & individuali personâ etiam eo tempore, quo sponsalia celebrantur adhuc verè perdurante arg. cap. ult. de procurat. in 6. speciale siquidem est in favorem contractus matrimonialis, & sponsalitii ad cuius valorem in foro conscientiæ non sufficit alias consensus, quam verus & naturalis, quod procurator nequeat obligare principalem, quamprimum hic suum mandatum revocaverit etiam procuratore ignorantе, secus ac in contractibus aliis merè politicis, curà quos deficientem ex unâ parte consensum respublica potest supplere Schmier de spons. & matr. part. 1. cap. 2. num. 86.

§. 7.

§. 7.

Certa interim ad sponsalia & proprio, & alieno nomine ritè contrahenda forma requiritur, quæ nimirum consistat in verâ, seriâ, deliberatâque promissione futuri matrimonii determinatâ ad certam personam, huic exterius manifestatâ, & ab eâ acceptatâ cum simili reprobmissione, ita communiter omnes, ex eo autem, quod promissio debeat esse vera, seria, ac deliberata palam est, eum, qui cum fictâ promissione matrimonii usum corporis blanditur à fœminâ, vi talis promissionis non obligari ad matrimonium, quanquam hoc casu tantopere apud AA. agitato teneatur vi contractûs innominati facio, ut facias, qualem hoc ipso inivisile, & implere velle convincitur, dum usum corporis quem fœmina sub conditio-
ne ineundi matrimonii demum concessit, ipse acceptavit, maximè cum jura in quovis contractu oneroso libera-
ram decipiendi facultatem velint sublatam, sitque hic injuria alio modo non compensabilis, facit huc arg. L. 4. §.
3. ff. de condit. ob turp. caus.

§. 8.

AD hoc, ut promissio exterius manifestetur verba potissima sunt, aut his æquivalentia signa cap. 7. h. tit. cap. 6. de v. sign. ea nimirum, quæ vel ex nativâ significa-
tione, vel ex consuetudine loci denotant promissionem futuri matrimonii, in dubio autem, an verba, aut signa sufficientia adsint, potius contrà, quam propter sponsalia judi-

judicandum erit arg. L. arrianus 47. ff. de ob. & aet. Solent enim matrimonia coacta difficiles habere exitus cap. 17. b. tit. ut proinde verba amatoria: *Non ducam aliam, nisi te, tu es mea charissima*, & aliæ hujus generis suaves viridiorum annorum ineptiæ nudæ crudæ sponsalia non conficiant, cum mutuus sœpè amor honestus per talia verba malit sustentari intra limites liberæ conversationis, quam ad gravem matrimonii incundi obligationem extendi.

§. 9.

Cumque etiam ex positis promissio debeat esse determinata ad certam personam, sponsalia non esse completa dicendum eo casu, quoquis pluribus puellis etiam repromittentibus promitteret, quod unam ex illis duceret, nisi forti promissioni suæ talem adjiceret conditio nem, ut eâ purificatâ appareat, cui fidem suam voluerit obligatam cap. un. pr. b. tit. in 6. debet & ad sponsalia determinata accedere acceptatio, & repromissio, nam sine his nulla oritur obligatio sponsalitiae, licet quis aut in coronâ plurium declaret, aut etiam in præsentia optatæ sponsæ non acceptantis ediceret se velle eam ducere, id que ob naturam sponsaliorum mutuum maris, & foeminae consensum exigentium in L. i. ff. b. tit. & can. 3. caus. 30. q. 5. quo sensu solent monere Doctores contractum sponsaliorum claudicare non posse.

§. 10.

Sciendum adhuc sponsalia, ut & matrimonia sive im-
plorato parentum consensu attentata esse quidem vali-
da & jure naturali cum electio statu perpetui debeat esse
liberrima, nec ab alterius voluntate dependens, ne quis
absque culpâ perpetuo miser esse cogatur, & jure divino
per cap. 1. *Tobiae*, ubi tobias junior de consilio angelî sive
parentum scitu, & ascensu legitimum matrimonium con-
traxisse legitur & jure canonico per can. 2. caus. 27. qu. 2.
Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. quidquid sit de jure
civili per L. 7. §. 1. ff. b. tit. & L. 2. ff. derit. nupt. Non sunt
tamen licita Vallens. b. tit. §. 9. n. 2. hinc plurima princi-
pium, legislatorumque statuta talia matrimonia non qui-
dem quoad substantiam, sed quoad effectus civiles dotis,
& hereditariæ successionis justè constringunt, prout ordi-
natio Juliæ & Montium cap. 73. von Bestraffung der
Sohn und Töchter / die sich ohn ihrer Elteren Willen
und Wissen verheyrathen parentes ad filias ante annum
ætatis 25. stum, filios familias autem ante 30. sum nubentes
dotandum non obligat, & ut ut in Galliâ, Angliâ, Sco-
tiâ, Siciliâ, regnoque Neapolitano potentioribus regno-
rum vasallis absque regis arbitratu, & concessione non
liceat eum exteris inire nuptias teste Myler ab Ehrenbach
in Gamolog. cap. 2. n. 4. & 5. Imperii tamen nostri prin-
cipes etiam inconsulto imperatore cum exteris magnati-
bus, licet hic subinde contradixerit, foedera conjugalia

B

pange-

pangere possunt ita Betsius de pact. famil. illust. cap. 4. Rhetius in inst. jur. publ. lib. 1. tit. 21. §. 1. Verum an sponsalibus possit adjici poena conventionalis in casum resilientiae quæstio est, quam sic contra Sanchez de matr. lib. 1. disp. 30. n. 2. aliosque affirmativè resolvo, ut existimem licere poenam adjicere ex partium conventione solvendam ab eo, qui sine justâ causâ resilit nec obstat. cap. gemma 29. x. b. tit. L. 134. ff. de V. O.

§. II.

EX sponsalibus ritè constitutis consurgunt effectus notabiles, & diversi pro diversitate formæ ac modi, sub quibus coaluerunt, sic si sponsalia sint absolute contracta, producunt eadem respectu sponsorum gravem imprimis, & efficacem obligationem matrimonium promissum debito; eoque, si expresso partium consensu determinatum non foret, proximè commodiore tempore ineundi cap. 10. b. tit. & arg. L. 14. ff. de reg. jur. adeò ut nequidem quis alteri offerendo interesse liberetur ab hâc obligatione can. 27, 47, & 50. caus. 27. qu. 2. nam & verior est doctrina generalis eum, qui factum promisit, id teneri præcisè præstare non tantum si prægnans sit cap. 1. & 3. de pact. §. sed & 1. inst. de empt. vendit. L. 75. §. ult. ff. de V. O. L. si quis 35. §. ult. cod. de donat. 2. f. 7. & 26. Sed etiam si simplex L. 5. §. 2. ff. de P. V. L. 5. in pr. §. 1. & 2. L. 10. §. 3. ff. mandati. dein sponsalia respectu cognatorum sponsi & sponsæ ponunt impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium

nium inter personas sponsæ primo gradu conjunctas, & sponsi primo gradu consanguineos *Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 3.* Sponsalia denique producunt respectu similium sponsaliorum supervenientium obstaculum, quominus hæc posteriora licet accedente copulâ sint seu licita, seu valida, nec enim corpus uni devinctum rursus alteri potest obligari, & hinc neuter ex iis absque lœsione justitiae audet seu carnaliter commisceri, seu verbaliter desponsari tertii personæ, jus siquidem primæ sponsæ aut sponso quæstum per improbitatem & perfidiam alterius nequit eidem auferri *Covarruv. p. 1. cap. 4. §. 1. num. 15.*

CAPUT II.

DE

DISSOLUZIONE SPONSALIORUM.

§. 1.

LIcet ad hoc, ut sponsalia semel valida persistant, confiantur chyrographa, seu scripta nuptialia, in quibus promissio matrimonii unâ cum pactis annexis deseribitur, constituantur arrhæ quasi pignora adimplendi matrimonii, fiant sponsalitiæ largitates seu donationes inter sponsos de futuro in spem matrimonii, imò & adjiciantur poenæ conventionales in casum injustæ resilientiæ, illa ta-

men variis modis dissolvuntur, aut ex dispositione juris,
aut ex partium placito.

§. 2.

ET quidem primò ex dispositione juris sponsalia dissol-
vit mutuuus consensus arg. cap. omnis. 1. de reg. jur. L. ni-
bil 35. ff. eod. licet jurata sint, juramentum enim non im-
mutat naturam contractū, sed robur tantummodò ei su-
peraddit arg. reg. 42. in 6. & quidem in gratiam contra-
hentium, qui favori suo, si velint, renuntiare non prohi-
bentur arg. cap. 1. & 25. de jurejur. L. pen. cod. de pac̄t. Spon-
salibus tamen ità mutuò puberum consensu dissolutis impe-
dimentum publicæ honestatis semel per sponsalia valida
inductum inhærere indubium facit declaratio Cardd. Trid.
interp. de anno 1658, die 6ta julii etiam ab Alexandro 7mo
approbata. dixi puberum, nam impuberibus dederunt sa-
cri canones in cap. 7. & 8. de despōs. impub. licentiam parte
alterā etiam invitā resiliendi à sponsalibus initis, quam li-
cet & puberibus concesserit jus civile per L. 1. cod. b. tit.
L. 2. §. 2. ff. de divort. & repud. ea tamen reprobata est per
cap. 2, 10, & 22. X. b. tit.

§. 3.

EST & inter modos, quibus sponsalia dissolvuntur ipso
jure, ipsum matrimonium cap. 1. de spons. duor. cap. 31.
b. tit. verùm sponsalia illa non ita plane dissolvuntur, quin
non in casu, quo matrimonium per mortem secundæ
sponsæ, aut alia de causâ solveretur viduus cum primâ
sponsâ

sponsâ adhuc liberâ intuitu priorum sponsaliorum nuptias celebrare teneatur , si aliunde nihil obstet , & illa velit, ut sponsalia hæc tantùm suspendi arg. L. 15. cod. de rei vindicat. dicendum sit Frantz ad tit. inst. de nupt. p. 1. n. 22. eo quod sponsa prior habuerit jus ex prioribus sponsalibus certum , cuius executio licet per superinductum matrimonium tanquam potentius agens fuerit præpedita , eo tamen agente sublato obtineri adhuc potest , ut sic ejusdem juris substantia non debeat dici penitus exspirasse, cum sic via magis præcludatur primam innocentem sponsam non defraudandi pro injusto lubitu.

S. 4.

Professio in religione approbatâ cùm sit tam potens & efficax ut ipsum matrimonium ratum queat dissolvere cap. 7. & passim. de convers. conjug. potest à fortiori dirimere sponsalia de futuro , quibus ea censemur inesse conditio, quod obligatoria sint , nisi status regularis fuerit electus , nec refert, utrum pars altera in sæculo remanens consentiat, nec ne , aut an sponsalia jurata sint an simplicia Sanchez lib. 1. disp. 43. n. 3. Sed an idem operetur vel votum simplex perpetuæ castitatis vel ingressus in religionem absque solenni professione negare malo , quia per noviciatum talem non assumitur status incompossibilis cum obligatione sponsalitiâ , neque tale votum castitatis utpote tendens in præjudicium tertii valere videtur, Deus siquidem benignissimus votum rei illicitæ non acceptat,

aut jus tertii cupit evertore, & hinc non licet vovere ea,
quæ non sunt in potestate voventis.

§. 5.

Solvuntur & sponsalia susceptione ordinis sacri, intellige
majoris, ea enim ob votum solenne castitatis ponit
impedimentum dirimens matrimonium *extrav. antiquæ*
Joannis XXII. de voto & vot. redempt. exinde tamen non
sequitur sponso licere dissentiente, aut ignorantie sponsâ
sacrum suscipere ordinem, cum speciale sit religionis,
quæ morti naturali magis assimulatur, privilegium, ut
per ejus ingressum sponsalia & matrimonium ratum etiam
parte alterâ invitâ dissolvantur, quod clericatui sacerdotali
concessum non est Engel. *ad tit. de oblig. ad. ratiocin. n. 4.*
& hinc sponsalibus non ineſt conditio generalis, *nisi statu*
meliorem amplexus fuero, nam & status cœlibatus con-
jugali perfectior est.

§. 6:

Modus etiam dissolvendi sponsalia ipso jure est impe-
dimentum dirimens, quod supervenit contractis
sponsalibus, ex quo enim matrimonium in simili casu in-
ter personas impeditas nequit consistere, obligatio ex
sponsalibus præcedentibus nata exspirat per cap. *ex litteris 8. de eo qui cogn. consang. uxor.* licet sponsus, si ejus cul-
pâ impedimentum sit causatum, ad instantiam sponsæ
teneatur super impedimento impetrare dispensationem
non

(15)

non facilè negandam , debet enim ex justitiâ , quantum
est in se , impedimentum removere.

§. 7.

Spousalia contracta sub conditione resolutivâ statim
dissolvi , quamprimum existit eventus in conditione po-
situs , patet arg. L. 2. ff. de in diem addit. idem est de adventu
temporis , si hoc sponsalibus adjectum fuerit tanquam
terminus ad quem obligatio restricta esse voluerit arg. L.
44. §. 1. ff. de V.O. contractus enim ex conventione legem
accipiunt cap. 85. de reg. jur. in 6to.

§. 8.

Restè etiam modis , quibus sponsalia dissolvuntur ,
annumeratur mors naturalis , mors enim ultima re-
rum linea omnia solvit etiam ipsum usquè adeo vincu-
lum matrimonii consummati Nov. 22. cap. 20. Sponsalibus
tamen per mortem dissolutis remanere publicæ honesta-
tis impedimentum constat ex Can. 14. & 15. caus. 27. q. 2.
pendet etenim maximè à perpetuante Ecclesiæ constitu-
tione.

§. 9.

Coeterū inter modos , ex quibus sponsalia non sol-
vuntur ipso jure , sed tantum datur uni , aut alteri
facultas à sponsalibus , si placuerit , discedendi , est impri-
mis absentia , si enim sponsus invitâ aut insciâ sponsâ
abeat in longinas terras cùm animo aut nunquam , aut
diu non redeundi , potest à sponsalibus statim resilire
sponsa

sponsa cap. 5. X. b. tit. quam licentiam non convellit aut alterat jus civile in L. 2. cod. desponsa L. 2. cod. de repud. L. sape. 17. ff b. tit. jus siquidem civile non præscribit certum ac determinatum tempus pro facultate recedendi à Sponsalibus, cùm liceat ab iis eo jure pro libitu semper recedere per L. 1. cod. b. tit. Sed tantum pro amissione, aut acquisitione arrharum Frantz. inst. de nupt. p. 1. num. 25.

§. 10.

Datur & justa potestas illi, qui per dolum ad sponsalia celebranda fuit inductus, modò dolus non sit incidens, qui non vitiat contractum L. 13. §. 4. & 5. ff. de aet. empt. vend. Si autem dolus etiam accidentalis dederit causam contractui bonæ fidei, talem contractum in favorem decepti esse nullum omnino existimo per L. 7. ff. de dolo L. 16. §. 1. ff. de minor. L. 3. §. ult. ff. pro Socio, sed sponsalia sunt contractus bonæ fidei, omnis siquidem contractus, qui vel bilateralis est vel supponit pactum ex fine suo intrinseco utrumque obligatorium, est bonæ fidei gletle de paet. cap. 3. §. I. n. 7.

§. II.

ET generaliter facultas resiliendi competit ex notabili mutatione superveniente aut detectâ, cùm paria sint non esse, & non apparere L. 30. ff. de test. tut. idemque quod supervenire, & precedere, sed ignorari L. 17. ff. de contrah. empt. in unâ comparte, quæ præcognita alteram à contrahendis sponsalibus avertisset, nam qui ignorat circum-

cum-

cumstantiam aliquam, quæ posset ex judicio prudentum à contractu abstergere, non censetur in casum, quo tam circumstantiam cognoverit, se voluisse obligare *arg.*
d. L. 77. Sivè *primo* mutatio sit in bonis corporis v. g. deformitas vultus, amissio virginitatis, oculi, truncatio pedis, alteriusve membra difficulter curabilis defectus appetiatur, sivè *secundo* mutatio fiat in bonis animi per lapsum in amentiam, propensionem in ebrietatem, rixas, aliudvè periculorum vitium, sivè *tertiò* mutatio fiat in bonis famæ, & honoris per depositionem ab officio, infamiam ex delicto contractam, sivè *quartò* mutatio fiat in bonis fortunæ per supervenientem inhabilitatem ad constituendam dotem *Sanchez Lib. I. disp. 57, 58, & 59.* an autem similem resiliendi facultatem tribuant supervenientes insperatae divitiæ, Nobilitas, principum honores, dic, quod vis. Habitibus Sponsalibus, utpote viâ progrediendum est ad terminum, ipsum scilicet matrimonium, itaque sit.

PARS SECUNDA.

DE

MATRIMONIO, EJUSQUE DIVISIONE.

I.

POtissimam cujusquè rei partem principium, id est originem, & definitionem esse eleganter sapientes docent.

C